



COMMENTARIA
AD RITUALE ROMANUM.

DE RITUALI ROMANO,

TITULUS PRIMUS.

PRAELUDIUM.

SUMMARIUM.

- 1 Rituale Romanum unde dictum?
- 2 Hetrusci antiqui habebant libros Rituales pro condendis Urbibus.
- 3 Differentia inter Ritus, et Caeremonias.
- 4 Congregatio Sacrorum Rituum quando Romae instituta fuerit.
- 5 In Ecclesia Catholica Rituale Romanum invaluit tempore Pauli V.
- 6 Rituale in antiqua Ecclesia variis nominibus nuncupabatur.
- 7 Officialis libellus quinam fuerit, et quid nomine Breviarii intelligeretur?
- 8 Cur Rituale dicatur Romanum?
- 9 Apud Graecos Romanum idem est ac Constantinopolitanum.
- 10 Rubricae Ritualis Romani cujus naturae sint?

1 Rituale Romanum a Ritibus, seu Caeremoniis, moribus et consuetudinibus in eo descriptis, ac assignatis nomen desumpsisse concordant omnes DD. et ipsamet Etymologia satis docet, eo pacto, quo *Missale* a Missa, *Sacramentarium* a Sacramentis, *Processionale* a Processionibus, *Caeremonialia* a Caeremoniis, et alia hujusmodi Volumina derivationem traxere a rebus in iisdem descriptis, et explicatis. Pari itaque ratione cum Volumen hoc in se contineat Ritus pro recta nonnullorum Sacramentorum et Sacramentalium administratio-
ne, Rituale nuncupatum est.

2 Quod nomen apud Latinos satis antiquum dignoscitur. Festus enim testatur, suis temporibus extitisse Rituales Hetruscorum libros, in quibus scriptum erat quo ritu Urbes conderentur, Curiae, Tribus, Centuriae; et caetera hujusmodi ad pacem, bellumve pertinentia, et quo pacto aedes sacrarentur, unde Hetruscorum Aruspici fulgurales libri, a Cicerone 1. *de divinat.* Ritualium nomine nuncupantur.

3 Inter Ritus vero, et Caeremonias aliquam distinctionem ponunt nonnulli Scriptores, eodem pacto, quo Aqua differt ab Ablutione. Ritus est modus prescriptus sacrae actionis; Caeremonia autem ipsa Ritus executio, et praxis, qua actio sacra perficitur. Ex Conc. Trid. *sess. 22. de sacr. Miss. cap. 5.* ibi: *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia RITUS quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero clariore in Missa pronunciarentur instituit. CAEREMONIAS item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, chimiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, et traditione, quo et aestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia Religionis, et Pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Comment, ad Rituale.

4 Quae Concilii verba ad ampliorem sensum perducta nihil aliud significant, quam quod *Ecclesia Christi non solum voce utitur ad Deum laudandum, sed etiam externis caeremoniis, quarum multae ab Apostolis acceptae sunt, ut docet D. Basiliius, reliquae a posteris utiliter adjectae. Cum enim Caeremonia sit externa actio, effectum nullum externum producat: adhibetur tamen ad effectus spirituales, eosque multiplices, quos distincte enumerat, et explicat Augustinus Valerius Card. Veronae Episc. in Thesaur. Piar. institut. part. 3. §. 1.* Pro quorum Rituum observantia Sixtus V. Pont. Max. Congregationem *Sacrorum Rituum* nuncupatam instituit anno 1587. II. *Kal. Februar.* et est quinta iter quindecim Congregationes institutas; cujusque institutionis Bulla incip, *Jam vero etc.*

5 6 In Ecclesia Catholica nomen hoc *Rituale* praecipue invaluit tempore Pauli V. Summi Pontificis, tunc quando (anno scilicet 1614.) jussit ex antiquis prescriptis Caeremoniis ab Ecclesia Apostolica non discrepantibus Volumen unum confici, in quo sacri, et sinceri ejusdem Ecclesiae Ritus in Sacramentorum administratione, (Sacramentis Confirmationis, et Ordinis, quae ad Episcopos tantummodo spectant, quoad administrationem exceptis) aliisque ecclesiasticis functionibus servandi comprehenderentur, illudque RITUALE ROMANUM appe-

llari mandavit. Ad cujus Operis texturam idem summus Pontifex quamplures S. R. E. Cardinales, pietate, doctrina, et prudentia praestantes, multosque eruditos Viros in rebus ecclesiasticis, Bibliothecas, et codices priscos consuluit, ac praecipue Ritualement Librum a Card. Julio Antonio Sanctorio Sanctae Severinae nuncupatum jam prius elucubratum, ut uniformiter in Ecclesia Romana administrarentur Sacramenta, et Sacramentalia: circa quae fusius videndum Breve ejusdem Pauli V. incipiens, *Apostolicae Sedi, etc.* Dat. Romae die 27. Junii 1614. quod observandum instat Barbosa, *de off. et pot. Paroc. p. 2. c. 17. num. 2.*

6 Antiquitus vero, et primis Ecclesiae temporibus, Rituales libri habebantur se junctim a Missalibus, ut videtur inferre Gavantus, *Rubric. Miss. p. 1. t. 1.* Sed multiplici Rituum diversitate erant inter se discrepantes, atque ita non uno nomine a variis Authoribus nuncupabantur. Alii *Euchologium*, hoc est Rituale Graecum, in quo praeter Orationes, et preces ad Sacramenta ministranda, alii ritus sacerdotales, et Episcopales describebantur. Alii *Ordinales*, et sic eos appellat Matth. Paris in *Vita Abb.* his verbis: *Sine Ordinalibus Consuetudinariis, Missalibus, Tropariis, etc.* Dixerunt alii *Sacramentarium*, quemdam librum a D. Gregorio Papa elaboratum, in quo omnes collectas, et orationes, aliasque preces ad Officium Divinum spectantes, et ad sacros Ritus, per totum annum collegit. Proprie vero *Missale est.* Ita Lindanus *pro Liturgia S. Petri, c. 12.* et alii apud Gavant. *loco citato.* Denique *Sacerdotalis* liber dicebatur ille, in quo copia Rituum ad Sacerdotes pertinentium describebatur, eratque antiquum *Rituale*, recentiore copiosius. Monachi tamen Praemonstratenses utuntur hoc vocabulo ad significandum versiculum in Officio Divino recitandum in principio ad Laudes. Hujus nominis Librum, Romanae, ac aliarum Ecclesiarum commoditati aptissimum elucubravit Albertus de Castello Ord. Praed. tempore Leonis PP. X. Anno 1530. Aderat quoque liber qui dicebatur *Baptisterium*, in quo Caeremoniae, quae ad Baptismum spectabant, describebantur, ut tradit nuper enunciatus de Castello, *in principio, f. 2.* Insuper Librum de Sacramentorum Ritibus, *Sacramentale* nuncupatum, ad usum Ferrariensis Ecclesiae promulgandum curavit Jo. Fontana Episcopus Ferrariensis semper recolendae memoriae in sua prima Synodo Dioecesana 1592. pag. 62. 63.

Dignum quoque sua mentione est Volumen inscriptum *Sacerdotalis*, sive *Sacerdotum Thesaurus* juxta consuetudinem S. Rom. Ecclesiae, Sacrique Concilii Tridentini sanctiones, quibuscumque Sacerdotibus, Episcopis, Praelatis, nec non cunctis Christi-fidelibus pernecessarius, ex diversis Voluminibus compendiose collect. a Francisco Samarino Beneficiato Latera-

nensi: quod Volumen expurgatum, multisque rebus auctum, et reformatum per Angelum Rocch. prodiit typis Venetis, Anno 1583.

7 Neque desunt qui hujusmodi *Rituale*, *Officiale* libellum nuncupaverint, ut habetur ex Concil. Toletan. IV. *Can. 25.* Sed potius hoc Vocabulo, praedictum Concilium, de *Breviario* intellexisse putat Dominicus Macrius in *Hierolex. verb. Ritua-* *le*; ubi plura de hoc nomine habentur. Ego vero Canonem Concilii Toletani in fonte perquirens, talem inveni, ut potius de *Rituale* pro Sacramentorum administratione, quam de *Breviario* intelligi debeat. Inquit enim *dist. 38* hoc pacto: *Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem à suo sacerdote accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant, ne per ignorantiam, etiam in ipsis divinis Sacramentis Christum offendant: ita ut quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrent, vel baptizent, etc.* Ibi enim sermo est de Sacramentis, et praecipue de Baptismo, non de Psalterio, seu de Officio divino, deque Horis Canonicis in genere, ut supponit praefatus Macrius.

Verum, deletis omnibus antea descriptis nominibus, *Rituale* appellandum decrevit hoc Volumen idem Pontifex Paulus V. cum alia Volumina ecclesiastica, variis de causis, potius *Caeremonialia*, *Pontificalia*, *Episcopalia*, et hujusmodi dicenda sint.

8. Porro *Romanum* dicitur hoc *Rituale* eodem pacto, quo Ecclesia Catholica, et Apostolica, *Romana* communiter a nobiliori sui parte nuncupatur, Becan, *Manual, l. 1. cap. 3. conc. 5. n. 59.* idem enim sonat *Romana*, ac *Catholica*, Casal. *de Vet. Sacr. Rit. cap. 70.* ubi plura de titulo Romanae Ecclesiae, eruditissime, Patrum testimonia affert. Ita Res omnes, quae ad cultum, caeremonias, ritus, et sacramenta hujus Universalis Ecclesiae pertinent, Romanae vocantur ad distinctionem Graecorum, Ambrosionorum, aliorumque Rituum a Romanis discrepantium non essentialiter, sed quoad demonstrativas caeremonias: etenim praeter Missalia, Pontificalia, Ritualia, et alia Volumina Romana, Ambrosiana etiam, et Graecis titulis inscripta pro Graecis, et Ambrosianis passim occurrunt.

Igitur *Rituale Romanum* dicimus eo quia continet, et praescribit Ritus, quibus Ecclesia Romana utitur, et qui servantur Romae tanquam in Sedis Apostolicae Metropoli.

9. Apud Graecos Scriptores *Romanum* nomen Constantino-politanum significabat: id vero, quod nos *Romanum* dicimus, illi latinum vocant, et apud catholicos Scriptores Orthodoxum sonat. Vide plura apud Salvin. *lib. 5.* et Baron. *Ann. 45. n. 9. 456. n. 23. 583. 47. et in notis ad Martyrolog. 16. Octob.* quod

Romanum noncupari voluit, ad distinctionem *Menologiorum*, *Passionalium.* etc.

His de *Rituale Romano* in genere expositis, plura remanent dicenda de ejus usu apud Christi-fideles, et praecipue apud Parochos: sed cum iterum de eodem usu habendus sit sermo in Rubrica, seu Titulo *de iis, quae in sacramentorum administratione generaliter servanda sunt*, §. 16. ideo ad illum locum Lectores meos remittam, ubi plura habebunt scitu maxime utilia, et praesertim de apocryphis, damnatis, atque anathematizatis Ritualibus.

10 Quoniam vero in his Commentariis Rubricae Ritualis potissimum erunt explicandae, nonnulla hic de Rubricis in genere superaddere non inutile censui ad majorem legentium utilitatem; quandoque enim nigrum est generalius rubro, Anacl. *lib. 2. decretal. tit. 15. rubr. n. 1.* Praetermissis itaque iis, quae de nomine, et origine Rubricarum docet Gavant. *part. 1. tit. 1.* et Macrius in *Hierolex.* verbo *Rubricae*, dicam, Rubricas a Theologis dividi in praeceptivas, et directivas. Corsett. *Prax. Sac. Rit. Introd.* Praeceptivas unice sub mortali, vel veniali obligare docent communiter DD. juxta diversitatem casuum, et parvitatem materiae. Directivae vero cum sint de consilio, non obligant, saltem sub mortali, ex sententia DD. qui Rubricas de defectibus vocant doctrinales; ut ex Pasqual. *de Sacr. nov. lex. q. 799. n. 7.* et Polac. *part. 2. n. 6. apph. adden. 2.* Tutius tamen est culpabilem negligentiam vitare, cum ad earum observationem impellamur vi ordinis, et ministerii. Castald. *sect. 14. cap. 1.*

Strictius tamen in casu nostro praecise, et in terminis de Rubricis *Ritualis Rom.* loquitur Clericat. *de Sacr. Bapt. Dec. 34. num. 3. Dec. 66. n. 19.* cum Menoch. Loth. et aliis, qui esse de praeepto has Rubricas asserunt, ideo que obligare sub mortali, cum habeant vim legis, ex decr. Conc. Trid. *sess. 7. can. 13.*

His de *Rituale Romano.* praemissis, illius explicationem, servata Rubricarum. seu Titulorum Economia, et Methodo, aggredior.